Singula membra fluunt, fluit undiq sanguine corpus,
Ipsaq terra madet rosco perfusa cruore:
Hinc gemitus tremulo, JESUS, de pectore rumpit
ac angore necis pressus suspiria fundit.
Heic igitur patiens JESUS reperitur in horto.
Sed dum mortales tibi, JESU, cura tueri,
Heu! Stygio Judæ te JESUM prodere cura.
Hinc maledictus adest compulsus Dæmonis astu
Judas, qui dextrâ falsô qui sponderat ore
se dare velle suum vitæ morumq Magistrum,
Hic præsens magnâ Juvenum stipante catervâ.
Concita flammivomis odiis comprendit JESUM,
Illiq et duris constringit colla catenis:
Protinus huc totâ passim concurritur urbe;
Responsant saltus, coelum tonat omne tumultu.
Cetera per terras omnes animantia somno
Laxabant curas, et corda quieta gerebant;
Verum indefessus vigilat Salvator JESUS
Pro mundo immundo, nec dat sua lumina somno;
Ducitur interea manibus post terga revinctis
Ad Socerum Caiphæ, qui summas adet in iras,
Dum falsi testes surgunt, qui crimine læsi
Numinis accusant JESUM; tunc impius adstat
Miles qui palmâ faciem proh! pulsat honestam.
Attamen ipse DEUM clarâ se voce fateri
Pergit, qui natus castâ de Virgine JESUS.
Vix croceis rorare genis Tithonia conjux
Coeperat, et roseos monstrârat Lucifer ignes,
Ut Sol flammiferis mundum complexus habenis
Surgeret Eöo curru, nitidisq caballis,
Quum vinctus rapitur Pilati ad limina JESUS,
Non sine concursu plebis comitanteq turbâ,
Quem cæsum virgis, et sputis undiq læsum,
Quem Regem, cinctum spinis et arundine lusum
Supplicio capitis Pilatus damnat iniquus.
O nimium facilis Pilate, immania cædis
Crimina, qui censes auferri fluminis undâ,
Dum poscis lymphas et dextram crimine plenam,
Damnatô Christô, fluvialibus abluis undis,
Nec, maledicte, necis Christi vis caussa vocari;
Jam tibi se sistat mitem furibunda Megæra,
Jam facilesq tui moveant Acheronta precatus,